Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

qua promissa prius a uiro fuerat. sed uiri dixit esse peccatum qua abnuit quod prius concesserat. non tamen mulieri ut ex hoc permissum dedit. ut cum prius ei uir concesserit postea si prohibuerit contempnatur. Verum autem ista et ad uota continentie et a concubitu abstinentie pertineant merito queritur. ne forte ea tantum intelligenda sint aduersus animam uouere que sunt in cibis et potibus? quod uidetur illud significare uel dominus ait. nonne anima plus est quam esca. et cum de ieiunio precipit. ita precipit affligetis animas uestras. maxime quia cum hic lex auctoritatem uiro tribuat non mulieri que uiro subdita est. ut ei sint persoluenda mulieri si uir approbauerit. si autem renuerit non debeant. Apostolus tamen cum de concubitu coniugatorum loqueretur non ibi maiorem auctoritatem uiro quam femine dedit. sed uxori inquit uir debitum reddat similiter et uxor uiro. uxor non habet potestatem corporis sui sed uir. similiter autem et uir non habet corporis sui potestatem sed mulier. Quando in hac re parem utrumque esse uoluit potestatem. puto quod nobis intelligendum insinuet. istam de concubendo uel non concubendo regulam non pertinere ad ea uota uel non habent parem uir et mulier potestatem. sed uiri maior est. ac proper eius solius est. Non enim ait lex uirum non debere reddere uota sua si uxor prohibuerit. sed uxorem si uir prohibuerit. Ex libro contra Faustum cap. xl.

Quis enim nescit uxorem marito tamquam iii. quam domino debere seruire? Sed quod ad membra corporis attinet quibus sexus ipse distinguitur. apostolus dicit. similiter et uir sui corporis potestatem non habet. sed mulier. ut cum in ceteris actibus ad humanam pacem pertinentibus mulier uiro debeat seruitutem. huius unius rei quia sexus utriusque carnali sorte discernitur. et carnali commixtione coniungitur. similem inuicem se habeant potestatem. uir in uxorem. et uxor in uirum. Ex sermone de natali martyrum.

Fratres mei. filii mei. sufficiant uobis uxores uestre. quo sufficere uos uultis uxoribus uestris. Non uis ab illa fiat aliquid preter te. noli facere aliquid preter illam. Tu dominus es. illa ancilla. Deus fecit. Sara inquit scriptura obsequebatur abrahe. dominum eum uocans. Verum est. Ipsas tabulas subscribit episcopus. ancille uestre sunt uxores uestre. domini estis uxorum uestrarum. Sed quando uentum est ad illud negocium quod sexus discernitur. et sexus sibi utrique miscetur. uxor non habet potestatem corporis sui. sed uir. Gaudebas. erigebas te. iactabas te. Bene dixit apostolus. optime dixit uas electionis. uxor non habet potestatem corporis sui. sed uir. quia ego sum dominus. Laudasti. audi quod sequitur. audi quod non uis. rogo ut uelis. Quid est hoc? Audi. Similiter et uir dominus ille. similiter et uir non habet potestatem corporis sui. sed mulier. hoc libenter audi. uicium tollitur non dominium. Adulteria tua prohibentur. non femine subriguntur. Tu uir es. ostende. Vir a uirtute. uel uirtus a uiro. Habes ergo uirtutem. uince libidinem. Caput mulieris uir. Si caput es. duc et sequatur. Sed uide quo ducas. Caput es. duc. sequatur. Sed noli ire quo non uis ut sequatur. Sic uos parate intrare ad illam nouam nuptam. ad illam pulchram ornatam uiro suo. non monilibus. sed uirtutibus. Sitis casti et sancti intueritis. membra ipsius noue nupte uos eritis. Nolite ait fraudare inuicem nisi forte ex consensu. ut uacetis orationi. et iterum reuertimini in id ipsum. ne temptet uos sathanas propter incontinentiam uestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam non secundum imperium. Ex libro Enchyridion.

Venerabilis Paulus coniugibus ait. Nolite fraudare inuicem nisi ex consensu ad tempus ut uacetis orationi. et cetera. Quod putari posset non esse peccatum misceri scilicet coniugi non filiorum procreandorum causa quod bonum est nuptiale. sed carnalis etiam uoluptatis. ut fornicationis siue adulterii siue cuiuslibet alterius immunditie mortiferum malum. quod turpe est et dictu. quod potest temptante sathana libido protrahere in incontinentiam. deuitet infirmitas. Posset ergo ut dixi hoc putari non esse peccatum nisi addidisset. hoc autem dico secundum ueniam. non secundum imperium. Quis autem